



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 6. Quibusnam potest & debet conferri Extrema Unctio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

est ab omnibus Contritio quam potest perfectissima.

Adde quòd ab homine rationis compote recipi debeat magna cum fide, fiducia, humilitate, conformitate cum voluntate divina, & reverentia.

Homo verò sibi mortalis culpæ conscius, præter voluntatem recipiendi Sacramentum saltem illam generalem & habitualem, præmittere debet Confessionem, si potest, vel si non potest, Contritionem perfectam. *In quo illud in primis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut, si tempus, & infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur.* ait Rit. Roman.

Q. 6. *Quibusnam potest & debet conferri Extrema Unctio?*

Resp. Iis solis, qui sunt in magno mortis periculo orto ex aliqua corporis infirmitate. Ex Jac. 5. *Infirmitur quis, &c.* ex Florent. & Trid. & qui habuerunt aliquando usum rationis, ita ut dari non possit nec debeat infantibus, & perpetuò amentibus, ut constat ex praxi Ecclesiæ. Quia in illis locum habere non potest forma hujus Sacramenti: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti: cùm fuerint incapaces peccati personalis.* Et quia cùm hoc Sacramentum sit consummativum Pœnitentiæ, supponit eum cui confertur, esse capacem Pœnitentiæ, tentationum & peccatorum actualium:

in remedium enim horum institutum est. Hinc Rituale Rom. ait: *Debet hoc Sacramentum infirmis præberi, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, & iis qui præ senio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate (cum hæc sit gravis infirmitas)..... impænitentibus verò, & qui in manifesto peccato mortali moriuntur; & excommunicatis, & nondum baptizatis penitus denegetur. Non ministretur etiam prælium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus. At dari debet vulneratis lethaliter, aut iis qui potârunt venenum: nam hi habent intra se causam proximam mortis, & sunt infirmi reverâ undecumque infirmitas orta sit.*

Observ. 1. Non est expectandum, donec infirmus sit morti proximus. Sed dari debet Extrema Unctio, dum adhuc ratione utitur, ut majore cum reverentia & utilitate recipiatur. Unde Catech. Roman. dicit Parochos peccare mortaliter, dum eam differunt, donec infirmus priveretur usu sensuum & rationis; quamvis suppositâ dilatione teneantur dare infirmis usu rationis destitutis.

2. Debet dari infirmis petere non valentibus ob privationem usûs sensuum vel rationis. Quia sufficit habitualis voluntas generalis recipiendi media salutis à Christo instituta, quam habent Christiani, dum alia Sacra-

menta suscipiunt, vel actus amoris aut spei eliciunt. Nam talis voluntas est voluntas implicita recipiendi hoc Sacramentum; & tunc præsumendi sunt contriti, vel saltem attriti, nisi oppositum constet.

3. *Extrema Unctio*, cum non imprimat characterem, iterari potest & debet in diversis morbis periculosis; non tamen in eodem, nisi infirmus convaluerit, & postea in novum periculum mortis relabatur. Trident. c. 3. & Rit. Rom.

Q. 7. An est obligatio recipiendi hoc Sacramentum.

Resp. Constat esse grave peccatum, si omitatur cum scandalo aliorum, vel ex contemptu. *Nec verò tanti Sacramenti contemptus, absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus S. injuria esse posset.* Trid. sess. 14. c. 3. Sed controversia est de præcepto, præsertim divino, illud recipiendi. Hoc multi negant; at non pauci cum Toletò affirmant, & probant. 1. ex Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesie, &c.* Quæ vox videtur præceptum sonare; & Trid. sess. 14. c. 3. Ex iis verbis insert hanc unctionem mandatum Dei, & promissionem gratiæ habere. 2. Ex Conc. Cabilon. 2. c. 48. *Secundùm B. Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicatur, à Presbyteris ungi debent.* Vox debent non exprimit merum consilium. Et ex Conc. Colon.